



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Io. Francisci Leonis Eporediensis I. V. D. Episcopi Thelesini Thesaurus Fori Ecclesiastici

Leoni, Giovanni Francesco

Coloniae Agrippinae, 1682

75 Odiosa aliquando late interpretantur.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10316**

illo casu non aderant verba ita prægnantia, & universalia, prout in isto privilegio, in quo fit expressa mentio de decimis prædialibus, prout etiam non obstant illa verba, etiam Papalibus, quia stant ampliativè, & sunt positiva ad tollendam illam difficultatem, an appellatione decimarum veniant decimæ impostæ à Papa, de qua per gloss. in *clém. dispensiosam, in verb. decimis*, ubi Doctor. de iud. & visa est materia satis clara. Referuntur tamen Domini videndum, an dicta privilegia extendantur ad colonos, & an sufficienter sit derogatum *c. nuper, de decimis*, & an comprehendant bona quærenda, & quia prætenditur pro parte capituli, quòd dicta privilegia sint revocata, quòd ad istam exemptionem per Bullam fel. rec. Pij V. poterit super hoc particulariter videri.

Coram eodem, Carthageni. decimarum, Mercurij x. Decembris 1578. circa primam partem dubij, Domini ꝑ̄ concluserunt privilegium exemptionis decimarum concessam Ven. Collegio Societatis Iesu per fel. rec. Pij IV. comprehendere etiam colonos, & arrendatarios bonorum exemptorum, quia cum privilegium non solum concernat personas dicti Collegij, sed etiam res, & bona quæcunque, non est dubium, quin extendatur etiam ad colonos, & arrendatarios, ut per gloss. in *clém. i. in vers. excolendas, de decim.* ubi Card. q. 22. & Vital. nu. 31. Rot. decis. 4. de privil. in antiq. Abb. in c. ex parte, il. i. n. 4. de decim. Peret. in cons. 102. nu. 135.

Quò ad secundam partem, fuit etiam resolutum, ꝑ̄ quòd dictum privilegium exemptionis extenditur etiam ad bona, & prædia acquirenda post concessionem privilegij, & moti fuerunt.

Primò ex verbis generalibus privilegij, ibi, & bona quæcunque. Nam in materia quantumcunque odiosa, & alteri præjudiciali, non excluditur lata interpretatio, & ex proprietate verborum proveniens, ut per Aret. in l. cum lege. post prin. per illum text. ff. de testam. Calder. in cons. 1. in prin. vers. sed posset responderi, de consangu. & affi. Goz. in l. 2. numer. 165. C. de pact. inter empt. & vend. Aym. in l. i. numer. 69 ff. de leg. 1. & fuit resolutum coram Aldobrandino in una Pharen. pensionis, de anno præterito, & licet stantibus verbis indefinitis fortasse non comprehenderentur bona futura, ex not. in cap. quia circa de privil. (hoc enim casu posset reddi dubitabilis opinio, de qua per Nat. in cons. 340. n. 3. lib. 2.) cum tamen hic ꝑ̄ habeamus verba universalia, & geminata, comprehenduntur etiam bona futura, ex cons. Dec. 113. & alijs hic allegatis per informantes pro Collegio.

Secundò, movebatur ex verbis d. privilegij in specie loquentibus de bonis futuris, ibi omnia, & singula, domos probationum, & Collegia ubilibet consistetia, præsentia, & futura, eorumque nempe præsentium, & futurorum Collegiorum personas, fructus, redditus, aliaque res, & bona quæcunque à quibusvis decimis, &c. eximimus, ex quibus apparet, quòd Summus Pontifex voluit etiam eximere bona futura Collegiorum in futurum erigendorum, nec non, ibi, etiam bonorum ecclesiasticorum secularium, & regularium quorumcumque pro tempore maiorum, quæ respiciunt bona in futurum unienda, ex natura illius dictionis, pro tempore, ꝑ̄ quæ denotat tempus futurum, Bald. in c. cum inter n. 7. de re iud. Rebuff. super cõcord. tit. de reg. ad

Prælati.